

in errorem inducantur, *si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.* Ita certe jam videmus impleta, multos pseudochristos & pseudoprophetas audivimus. Donatistæ dicunt, ecce apud nos est Christus: & non alibi: Armeni dicunt, ecce apud nos est Christus. Sed juxta monitionem Christi oportet ut non credamus illis, sed maneamus in catholica Ecclesia, quæ una est omnium mater. Ad hunc locum etiam pertinet error Cypriani, & aliorum Africæ Episcoporum, qui Concilio apud eos de hac re celebrato definiunt hæreticos, cum ad Ecclesiæ communionem redissent fore rebaptizandos, quia (ut assererent) in hæreticos non potest conferri baptisma. In hac autem parte, zelo, ut suspicor, & non secundum discretionem moti, & odio quod adversus hæreticos conceperant, ducti errarunt. Nec tamen propter hunc errorem Cyprianus aut alii ei consentientes judicandi sunt hæretici, quia illum, pertinaci animositate minime defenderunt, quinimo parati ab aliis meliora docentibus corrigi, sententiam suam dixerunt. Quod ex ipso facto patuit, quoniam à summis Ecclesiæ Pontificibus, videlicet Cornelio, Lucio, Stephano edoceri, contraria prioribus ipsi Aphri definiunt. Qui error non primum in Africâ, sed in pluribus antea locis, velur in Iconio (ut Euseb. 7. lib. histor. Ecclesiast. cap. 6. refert) fuit tractatus. Novissime autem diebus istis in partibus Germaniæ superioris surrexit quidam Balthasar, qui homines docet rebaptizare, dicens parvuli non professe baptisma: quapropter cum ad annos discretionis pervenerint, debere iterum baptizari: quod in multis fecisse perhibetur, multosque per suum impium errorem seduxisse, adeo ut hujus factionis homines Anabaptistæ, hoc est, rebaptizatores vocentur. Contra hunc Balthasarem & ejus sequaces non est quod amplius agamus, quoniam cum jam ostenderimus parvulis sicut adultis professe baptisma, fundamento eorum subverso, totius erroris structura corruet. Contra alios autem omnes hoc ordine procedemus, ut primo ostendamus ministri malitiam nullo modo minuire baptisimi veritatem, quin à quocumque ministro conferatur, dummodo cætera quæ sunt necessaria tenent, verus sit baptisimus. Primo probatur per illud quod habetur apud Joann. cap. 4. videlicet quod discipuli Christi baptizabant, inter quos erat Judas, qui quamvis non proditor, tamen fur erat: & latro: nec tamen baptizatis ab ipso legitur quod rebaptizati umquam fuissent. Præterea hoc ipsum expressius confirmat dictum Joann. Bapt. cap. 1. *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de celo, & mansit super eum, & ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Hæc ille in Evangelio Joannis. Ex quibus verbis patet eum qui baptizat esse Christum Filium Dei. Nam quamvis minister exterius corpus abluat, Christus tamen est qui interius mundat animam. Hic ergo est solus qui baptizat in Spiritu Sancto, reliqui autem ut ministri. Hic est (inquit) qui baptizat in Spiritu Sancto, cum tamen ipse tunc non baptizaret, sed potius à Joanne baptizabatur: per quod innuere voluit ipsum Christum esse qui semper baptizat, quantumlibet varietur minister. Si ergo ille est qui baptizat, quid malus minister poterit obesse? Nam & Paulus ait: (1. Cor. 3.) *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Unde convincitur, quod nihil potest obesse minister malus, cum dominus qui bap-

tizat sit bonus. Hoc etiam B. August. elegantissime comprobatur, dicens: „ Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur: sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum est. Per lapideum canallem transit aqua ad areolas. In canali lapideo nil generatur, sed hortus fructus plurimos adfert. Et lib. 10. de unico baptismo sic ait. Cum tantum valeat baptisimus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus: ita nec illius, sed Christi esse cognoscitur. Item invenimus dictum ab Apostolis. Et gloriam meam, quamvis utique à domino; & ministerium meum, & prudentiam meam, & Evangelium meum, quamvis utique à domino impartitum sit atque donatum: baptismum autem meum eorum dixit omnino. Neque enim omnium æqualis est gratia, nec ministrant omnes æqualiter, nec æquali prudentia vel scientiâ. sunt omnes præditi, & in evangelizando alius alio melius operatur: & ideo dici potest alius alio doctior in ipsa salutari doctrina. Alius autem alio magis minusque baptizatus dici non potest, sive ab inferiore, sive à majore baptizetur. Et Zacharias Papa Bonifacio Episcopo scribens, ait: „ Enimvero quosdam baptizatos abque interrogatione symboli ab adulteris presbyteris indignis factus est. In his tua dilectio teneat anti-quam morem Ecclesiæ: quia quiquis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatus est, rebaptizari minime liceat. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis hujus gratiæ donum percipit. Et teneatur quod Apostolus ait: *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Hæc ille. Ex his ergo tam apertis scripturæ & sacrorum doctorum testimoniis aperte convincitur, ministri malitiam nequaquam obesse baptismo, quin per illum baptisma verum conferri queat. Verum dicit aliquis, has auctoritates bene sufficere ad probandum de quocumque alio crimine, ut puta adulterio, homicidio, &c. quod illud in ministro non obstat, quin verum conficiat baptisma: de hæretico tamen hoc non probant, sed si bene inspiciantur, æque probant de hæretico, sicut de cuiusque alterius criminis reo: quoniam sive minister sit adulter, sive homicida, sive hæreticus, qui baptizat in Spiritu Sancto Christus est. Unde Augustinus in libro de Baptismo: „ Cur hæretici foris baptizare non possunt? An quia peiores sunt eo ipso quod foris sunt? Sed nihil interest ad integritatem baptisimi quanto pejor id tradat; neque enim tantum interest inter malum & pejorem, quantum inter malum & bonum: & tamen cum baptizat malus, non aliud dat quam ille qui bonus est: ergo cum baptizat pejor, non aliud dat quam ille qui minus malus est. Hæc Aug. Et idem contra Cresconium grammaticum ait: Si inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non est melior baptisimus qui per meliorem datur: nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quando idem baptisimus datur. Et ideo per ministros dispares Dei munus æquale est, quia non illorum, sed ejus est. Hæc ille. Præterea baptizatus à Judæo aut Pagano recte verba proferente, & intentionem habente faciendi quod Christiani faciunt, vere baptizatus est, nec iterum debet baptizari: ergo baptizatus ab hæretico vere etiam erit baptizatus. Assumptum probatur per illud quod Nicolaus Papa respondet ad consula Bulgarorum, & ponitur in volumine Decretorum de consecratione distinctione 4. A quodam Judæo, nescitis an Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos esse asseritis: & quid inde sit agendum, consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Act.

Apost.

Apostolorum legitur, baptizati sunt, unum quippe idemque est (ut Sanctus Ambrosius exponit) quia non illorum, sed ejus est, rebaptizari non debent. Hæc ibi Nicolaus Papa. Ex his ergo testimoniis convincimus, ministri malitiam, etiam si hæretis sit, nullo pacto obesse baptismo, quin hæreticus verum baptisma conferat, si ea faciat quæ ad baptismum sunt necessaria. Verum hic admonere oportet, ministri malitiam, est baptismum non obstat quin verus sit baptismus, obesse tamen baptizato, ut scilicet gratiam per talem baptismum non recipiat, quia posuit obstaculum culpæ, quam sic à tali malo ministro baptismum recipiendo commisit. Qui enim à malo ministro, præcipue hæretico, ex certa scientia baptismum recipit, peccat: tum quia communionem cum hæretico habet in his, in quibus maxime conveniebat nullam communionem habere: tum etiam quia circa hoc expressa facta est per Ecclesiam prohibitio. Unde inter Canones Apostolorum, canone 46. dicitur, Episcopum, aut Presbyterum hæreticorum suscipientem baptismum, damnari præcipimus. Quæ enim conventio Christi ad Belsai? aut quæ pars fidelium cum infidelium? Peccat ergo ab hæretico scienter, & industria baptismum recipiens: quapropter licet verum baptisma recipiat, non tamen effectum baptisimi. Si tamen necessitate cogente id faceret, utpote quia mors instat, nec alius adeat à quo baptismum recipere possit, præter hæreticum hominem, potest ab eo baptismum recipere: modo id non faciat hæc intentione, ut illius hæresim assentiat, seu tanquam veram fidem catholicam suscipere volens. Unde beatus Augustinus, & ponitur in volumine Decretorum de consecratione, distinct. 4. cap. Quomodo, sic ait: „ Potest pejori tradere separatim, sicut potest habere separatim: sed quam perniciosum est habere, perniciosum est tradere. Ille autem cui tradidit, potest salubriter accipere, si ipse non separatim accipere, perit urgente mortis necessitate. Hæc Augustinus. Excepta ergo necessitate urgente, quisquis à malo, præcipue hæretico ministro baptizatur, peccat. Verum ergo baptismum recipit, effectum baptisimi non recipit, quia culpa ejus impeditus est baptismus, ne fuit circa illum haberet effectum. Et hinc ait August. loco proxime citato, sui erroris originem fuisse Cyprianum, & cæteros apud Africanos Episcopos: „ Non ob aliud (inquit) visum est à quibusdam etiam egregiis viris, & Antistibus, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos, vel scismaticos, baptismum Christi, nisi quia non distinguebant sacramentum ab effectu, vel usu sacramenti. Et quia ejus, sacramenti usum, atque effectum, in liberatione à peccatis, & rectitudine cordis apud hæreticos non inveniebant, ipsum sacramentum quoque illic non esse putabant. Hæc August. Si ergo, ut jam plene ostendimus, ministri qualiscumque malitia non obest quin ab eo baptizatus verum suscipiat baptismum: consequens est, ut ab eo baptizatus rebaptizari minime debeat. Et hoc est secundum, quod discutere promissimus. Verum quoniam Armeni (ut diximus) Latinos rebaptizant, alia tamen ratione ducti quam Aphri illi Episcopi, & Donatistæ, contra quos modo egimus: quia videlicet dicunt Romanam Ecclesiam non habere justam baptisimi formam: ideo contra istos aliter agendum est, ostendere videlicet Ecclesiam Romanam veram baptismi tenere formam, quò factò verus erit etiam baptismus: & ita non erit cur ab eis Latini rebaptizentur. Quod autem

Tom. I.

vera sit apud Latinos baptisimi forma, ex secundo errore de baptismo superius improbo paruit. Nam forma quam Christus docuit, apud Matthæum descripta, tria exprimit necessaria, quæ sunt verbum exprimens actum baptizandi, nomen designans personam baptizandam, invocatio Trinitatis expressa. *Baptizantes* (inquit) *eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Baptizantes, ecce primum: eos, ecce secundum, scilicet, persona baptizata: In nomine Patris, &c. ibi ostenditur tertium. Forma autem quam Ecclesia Romana tenet, hæc omnia complectitur. Ea enim sic habet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In qua cum omnia sint necessario requisita, non est cur impii Armeni negent apud nos esse verum baptismum. Contra impios autem Anabaptistas, qui prohibito rebaptizant non solum semel, & iterum, sed tertio, quarto, & quinto: quoniam baptismum, velur penitentiam, quoties placet iterant: contra istos inquam aliter agendum est. Primo eorum hæresim expugnat id quod ait Paulus: (Ephes. 4.) *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Si ergo, Paulo teste, unum est baptisma: Quomodo impii Anabaptistæ tria, & quatuor baptismata uni, & eidem conferre præsumunt? Præterea hoc ipsum plenus, & expressus confirmat Paulus in ea quæ est ad Romanos epistola, cap. 6. *An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris: ita nos in novitate vitæ ambulemus.* Hæc Paulus ibi. Ex quibus & aliis ejusdem loci verbis patet baptismum esse velur quandam mortis Christi figuram, sicut enim in morte Christi, peccatum mortuum est: ita & in baptismo etiam peccatum nostrum perit, per meritum tamen passionis ejus. Cum autem ex aqua emergimus, resurrectionem Christi figuramus. At Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, non autem bis, aut ter: ergo etiam nos pro peccatis nostris semel tantum baptizari oportet. *Christus etiam resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur:* ergo & nos ex aqua semel emergeri, non oportet ad aquæ lavacrum iterum redire. Impii ergo Anabaptistæ, qui rebaptizare præsumunt, rursus sibi bimetipsis (ut ait Paulus Heb. 6.) *recrucifigunt Filium Dei.* Nam de illis expresse loquebatur Paulus, & non de aliis. Qui enim secundo baptizatur, quantum in ipso est, secundo etiam Christum cruci affigit: quoniam cum baptismus figura sit quædam mortis Christi, qui secundo baptizatur, hoc ipso ostendit Christum secundo mortuum fuisse. Rursus hoc ipsum sacrorum Conciliorum definitiones confirmant. Nam in symbolo edito à Concilio Nicæno dicitur: *Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum.* Concilium Carthaginense primum, capite suorum Decretorum primo sic ait: „ *Gratus Episcopus Concilio præsidens dixit: ergo si vobis placet, consideremus primum titulum rebaptizationis, unde sanctitatem vestram postulo, ut mentis vestre placita producat ad descendentem in aquam, & interrogatum in Trinitate, secundum Evangelii fidem, & Apostolorum doctrinam, nam, & confessum bonam conscientiam in Deum de resurrectione Jesu Christi, si liceat iterum interrogari in eadem fide, & in aqua iterum tingi. Universi Episcopi cogi dixerunt: Absit, absit. Illicitas esse sanctimus rebaptizationes, & satis esse alienum à sincera fide, & catholica disciplina. Hæc Concilium Carthaginense. Et Concilium Viennense, sub Clemente quinto celebra-*

Z

si hoc esset verum, & efficax remedium, quod Cajetanus ad salutem spiritualem parvulorum excogitavit, merito argui posset Ecclesia de ignorantia, quoniam per tot sæcula rem tantam, & tam necessariam ignoravit. Quod si illam non latuit, multo rectius poterit accusari de negligentia, propterea quod tale remedium nunquam parvulis adhibere curavit. Ego tamen corde ad iustitiam, & ore confiteor ad salutem, quod Ecclesia antequam Cajetanus oriretur, non ignoravit aliquid quod ad salutem animarum sit validum, & necessarium. Quoniam Spiritus Sanctus descendens super Apostolos, docuit illos omnem veritatem necessariam. Et inde convinco talem Cajetani sententiam de salute parvulorum sine baptismo decedentium, quam hæcenus Ecclesia ignoravit, non esse veram.

Constat etiam apertius Ecclesie perpetuus consensus ex testimoniis sanctorum Doctorum, qui omnes concorditer sententia docent, non solum dandum esse parvulis baptismum, sed dicunt insuper illos sine baptismo salvari non posse. E quibus aliquot in medium proferam, Augustinus in libro sexto Hypognosticon contra Pelagianos, hæc ait: „Novimus etiam parvulos, quibus usus est baptismatis deploratos, & cum in uno eorum per cri baptismatis deploratos, & cum in uno eorum per manus sacerdotis mysterium fidei adimpleretur, aliter quovis aliter in parentum manibus factum exanimem, fraudatum gratia Salvatoris. Quis sapiens, & intelligens hæc? Aut quis idoneus erit horum redere rationem? Dicamus cum David: (Psalm. 144.) *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis.* Et (Psalm. 90.) *Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profunda facta sunt cogitationes tue.* Dicamus etiam cum Apostolo Paulo: (Rom. 16.) *Altitudinis divinarum sapientiarum, & scientiarum Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & investigabiles viæ eius.* Hæc Augustinus. In quibus verbis præter id quod ait, parvulum non baptizatum, quamvis à parentibus deploratum ad baptismum, fraudatum fuisse gratia Dei, respondet argumento quod faciunt huius sententiae auctores, qui parvulis non baptizatis salutem dari posse conantur. Dicunt enim hoc spectare ad misericordiam Dei, & congruum esse illi, ut parvulis non baptizatis aliquid remedium daret, quasi Deus crudelis esset dicendus, si nullum illis ad salutem remedium reliquisset. Sed istis respondet humiliter Augustinus, suam fatendo ignorantiam, & istarum rerum occultarum sententiam iudicio Dei relinquendo, credens semper quicquid Deus fecerit, iuste factum fuisse, neque propter hoc, aut quodvis aliud Deum esse dicendum crudelem. Gregorius lib. septimo registri, epistola quinquagesima tertia, hæc ait: „Illud incertum non est, quia nisi fieri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta. Ildorus, libro secundo de Ecclesiasticis officiis, cap. 24. ita ait: „Profectis ætate baptismum, vel purificationem originalis noxæ, vel ad ablationem actualis peccati proficere credimus: parvulis autem, ut ab originali peccato abluantur, quod ab Adam prima nativitate contraxerunt. Qui si priusquam ex aqua, & Spiritu Sancto regenerentur, transierint, proculdubio à Salvatore nostro Christo alienati sunt, testante Domino: (Joann. 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei.* Hæc Ildorus. Quæ verba Salvatoris ita de

parvulis, sicut de adultis dicta esse censet. Idem facit Beda, qui in libro primo super Cantica Salomonis, tractans de erroribus Pelagii, hæc ait: „Quod dicit, eum qui pius est non damnaturum esse hominem, pro eo quod vitare non potuit, contradicit ejusdem pii redemptoris, & iusti iudicis sententiam, qua etiam de parvulis, ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest videre regnum Dei.* Hæc Beda. Potuissent pro hac re plura sanctorum virorum proferte testimonia, sed nolui id tacere, ne fastidium lectorem ad nauseam provocarem. Nam ista quæ jam protulimus satis sunt ad convincendum Geronis, & Cajetani sententiam, præsertim cum illi omnes sacri Doctores non ex suo cerebro locuti sint, sed ex sententia Salvatoris, quam de omnibus hominibus, tam parvulis quam adultis intelligentem esse asserunt. Sed ut nihil desit quod hanc sententiam plene confirmet, apertam de hac re Ecclesie definitionem proferte decrevi, per aliquot probata Concilia declarata. Concilium Milevitanum (ut fere omnibus constat) definitum necessarium esse baptismum ad peccati originalis remissionem obtinendam. Et ne quis huic definitioni contradicere audeat, propterea quod Concilium illud fuit provinciale, profero sententiam quam ad eisdem Concilii confirmationem Zosimus Papa, eo tempore dedit, quæ est in volumine Conciliorum non habeatur, Augustinus tamen in epist. 157. quæ est ad Opatum, partem illius citat, hæc dicentem: „Per filium Dei renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo: ipsius morte mortis ab Adam omnibus nobis introductæ, universæ animæ illud propagatione contractum chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius. Hæc Zosimus Papa apud Augustinum, qui ut ostenderet, quanti hanc Pontificis Romani definitionem æstimaverit, statim post illa Zosimi verba, hæc quæ sequuntur, addidit: In his verbis Apostolicæ Sedis, tam antiqua, atque fundata certa, & clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano. Hæc Augustinus. Desinant ergo asserere parvulos sine baptismo posse salvari, aut certe intelligant se minime ab Augustino pro Christianis habendos. Concilium Florentinum sub Eugenio IV. celebratum, bis de hac re sententiam dedit. Nam in instructione illa de sacramentis data Armenis, per hæc verba definit: Cum propter hominem mors introierit in universos, nisi ex aqua, & Spiritu Sancto renascamur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum caelorum introire. Et in definitione de libris Canonici, apertius hæc definit doctrinam, sic dicens: Circa verbum vero propter periculum mortis, quod potest sæpe contingere, cum ipsis non possit alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur à diaboli dominio, & in Dei filios adoptantur, admonet non esse per quadraginta, aut octoginta dies, seu aliud tempus juxta quorundam observantiam sacrum baptismum differendum, sed quamprimum fieri potest, debet conferri, ita tamen quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur etiam per laicos. Hæcenus Concilium Florentinum. Denique Concilium Tridentinum, sexta sessione, capite quarto, hæc ait: Quibus verbis justificationis impii descriptio infundatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesu Christum Salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio, per

Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: (Joan. 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei.* Hæc Concilium Trid. Superest jam ut respondeam his quæ nobis objicit Cajetanus ad suæ sententiæ confirmationem. Primo itaque arguit Cajetanus ex hoc quod baptismus successit circumcissioni, & per illam fuit figuratus. At circumcisio non fuit in lege Mosaica tam necessaria parvulo, ut si ille ante octavam diem moreretur, non posset sine illa salvari: ergo nunc si parvulus sine baptismo moriatur, quia non potuit illi dari, poterit etiam sine illo salvari.

Fatemur quidem baptismum successisse circumcissioni: quia id Paulus docere videtur ad Coloss. 2. & multorum Patrum confirmatum testimoniis, & tandem pro certo definitum est in cap. Majores, de baptismo, & ejus effectu. Sed firmiter negamus parvulum Judæum ante octavam diem mortuum, sine circumcissione posse salvari, quia est contra sacram scripturam dicentem: (Gen. 17.) *Masculi cujus caro præputii circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo,* hoc est in libro viventium non scribetur, nec connumeratur in populo Dei. Nam ob hanc solam causam (ut sacri doctores interpretantur) Salomon dicit (Prov. 4.) *Se fuisse filium unigenitum matris suæ, quamvis (ut Regum narrat historia 2. Reg. 12.) alium illo majorem peperit Bersabe mater sua, quem ex adulterio conceperat.* Sed quia ante circumcissionem mortuus fuit, non habet magis nomen apud Deum quam si non fuisset genitus, neque connumeratur in populo Dei. Quæ cum ita se habeant, argumentum Cajetani facillime potest in illum retorqueri, multo fortius quam ille contra nos illud torserat. Si olim juxta legem Mosaicam non poterat parvulus incircumcisus salvari: ergo neque nunc juxta legem Evangelicam poterit salvari parvulus sine baptismo decedens, quia eodem modo sonant utriusque legis verba, & eandem prorsus vim habent. De qua re extat expressa, & aperta Ecclesie definitio in capite, Majores, de baptismo, & ejus effectu, ubi hæc verba habentur: „Sicut enim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat, *anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo:* Ita nunc indistincte vox intonat Evangelica (Joann. 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei,* ab hac generalitate nec sexum, nec ætatem excludens. Hæc in illo capite Majores. In quibus verbis multa contra Cajetanum annotare oportet. Primum est, quod dicit in illis Christi verbis nullum sexum esse exceptum, nullam ætatem esse exclusam: ergo nec parvuli excipiuntur ab illa Christi sententia: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Alterum annotatio dignum est, quod ad eundem modum dicit olim contigisse in lege Mosaica circa circumcissionem: quia de illa dicit (Gen. 17.) sine ulla distinctione dampnatum esse: *Anima cujus caro præputii circumcisa non fuerit, peribit de populo suo.* Cum ergo hæc diligenter inspicimur, mirari non desino qua temeritate Cajetanus fuerit ausus dicere probabiliorum esse opinionem quæ ait, parvulum Judæum ante octavam diem sine circumcissione mortuum, salvum fuisse per benedictionem, aut oblationem aliquam. Certe ego non possum intelligere quomodo aliquis possit absque temeritate, aut aliqua alia peiori nota dicere aliquam opinionem esse probabiliorum quam illa contraria quæ est per Ecclesiam definita. Secundo objicit nobis Cajetanus martyrium parvulorum,

quod sine alio baptismo potest parvulis prodesse ad salutem. Fateor quidem martyrium pro baptismo valere ad salutem, & vicem illius tenere ut Augustinus in libro de Fide ad Petrum ait, cui consentit Ildorus, libro secundo de Ecclesiasticis officiis, capite vigesimo quarto, & Bernardus, epistola 77. & tota hoc docet Catholica Ecclesia. Nam Christus ipsum martyrium appellavit baptismum quando duobus fratribus, Zebedæi filius dixit: (Matt. 20.) *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum, & baptismo quo ego baptizor, baptizari?* Baptismus hic dicit sanguinis effusionem usque ad mortem. Fateor etiam parvulos posse assequi martyrii palmam, & meritum, ut recte Beatus Thomas asserit, 2. 2. q. 124. artic. 1. & tota consentit Ecclesia. Nam illorum infantum pro Christo occisorum solemnitas festa celebrat Ecclesia, & illorum mortem martyrium vocat Hilarius super Mattheum, & Augustinus in quodam sermone de Epiphania. Et hoc non parvum est parvulorum privilegium, ut effusio sanguinis propter Christum, quamvis non sit per voluntatem suam acceptata, vicem gerat baptismatis, & idem prorsus operetur in illis, quod operatur aquæ baptismus si illis fuisset exhibitus. Quam ergo martyrii palmam adulti per suam voluntatem assequuntur, eam parvuli ex Dei gratia, & privilegio sunt adepti. Sed non inde colligere licet, ut sicut martyrium vicem baptismatis gerit, ita etiam orationes parentum, aut oblationes virutum baptismatis teneant, & illius vices supplere possint. Nam tam longe unum ab alio distat, ut nulla sit inter illa duo comparatio. Tertio objicit Cajetanus, quod parvuli essent omni prorsus remedio destituti, si non possent morientes sine baptismo salvari, quod esset nimis crudele, & divinæ misericordiæ minime conveniens. Huic objectioni ego respondere potero id quod Augustinus, libro sexto Hypognosticon respondit hujusmodi querelis, sic dicens: „Sed si adhuc hæc reddita ratione vultis esse contentiosi, nec acquiescere veritati, nobis tamen eo quod male de Deo iusto, ac misericordissimo sentiamus: calumniari desinit: Fed ipsum potius Dominum Jesum Christum, cuius Evangelium sequimur, si audetis arguite, cum illo iurgium sumite litigandi: illi quod abist, male sensit de Deo Patre suo, calumniamini, qui ait: (Matt. 22.) *Multum sunt vocati, pauci vero electi.* Et (Joan. 6.) *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Et, *Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit à Patre meo.* Hæc Augustinus. Potest etiam aliter responderi negando parvulos esse relictos sine remedio, quando non possunt peringere ad baptismum: quia martyrium potest (ut dixi) supplere vicem baptismi. Deinde, orationes parentum, & si non sufficiant ad justificationem parvulorum, poterunt tamen prodesse, ut merito illarum Deus parvulos incolemus servet, quousque baptismum percipere possint, quos alias Deus non esset servaturus. Et ob hanc causam prudenter agerent parentes, si postquam mulier certo se prægnantem agnoscerit, orent pro foetu, & pro illo oblationes faciant, ut Deus illum incolentem usque ad baptismum servet. Contra hanc hæresim scripsit olim paucula quadam Thomas Vvaldens. in libro de Sacramentis, cap. 96. A quo nihil in hac mea disputatione assumpsi, propterea quod aliqua testimonia quæ ille ex Augustino solo citat, parum proposito servantur, reliqua vero sunt mendosissime citata non ex culpa auctoris quem scio fuisse virum doctissimum, sed ex vicio scriptorum, & impressorum, qui sæpe

mus in libro de Baptismo parvulorum, cap. 13. sic dicens: "Oportet ergo nasci priusquam quis renascatur." Sed ne lector hic erret, admonere illum decrevi, ut intelligat illum in hac parte dici natum, qui quovis modo prodit in lucem, aut totus integre, aut membrum aliquod illius vivum. Nam si mortua matre secaretur venter illius, & infans intus videretur vivus, posset baptizari, quamvis non esset plene natus. Alterum in illis Christi verbis annotatione dignum est, talem regenerationem necessariam ad introitum regni Dei, debere esse ex aqua, & Spiritu Sancto. Et inde consequens est, quod ubi aqua deest, non sit perfecta regeneratio, & sufficiens ad introitum regni Dei. Tertium denique in illis Christi verbis annotandum est, verba illa esse generaliter, & sine ulla exceptione dicta. Non enim de solis adultis loquutus est Christus, sed generaliter sine parvulorum, aut alicujus alterius exceptione dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei.* Ubi ergo lex non exepit, nec nos excipere debemus. Et quod illa Christi verba sint etiam de parvulis perinde ac de adultis intelligenda, docet Augustinus sæpe, præsertim in libro de Baptismo parvulorum, sic dicens: "Parvuli etiam baptizati inter credentes reputantur per sacramenti virtutem, & offerentium responsionem. Qui vero non sunt baptizati, inter non credentes judicantur ex Evangelio Joannis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Dei.*" Hæc Augustinus, & citatur à Gratiano in ca. Filius Dei, de conse. dist. 4. Ecce qualiter Augustinus ex illis Christi verbis colligit parvulos non baptizatos non dici credentes, per hoc ostendere volens illos fore damnandos juxta alia verba Salvatoris nostri, dicens: (Marc. 16.) *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Præterea, ex verbis Pauli, quæ ad Titum, cap. 3. scribit, Cajetani, & aliorum sententia aperte convincitur. Cum autem (inquit Paulus) *benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Salvatorem nostrum.* Quibus verbis aperte docet Paulus salutem spiritualem nobis datam esse à Deo, non ex nostris meritis, sed ex meritis Christi. Et hanc non dicit esse datam solo verbo, aut solo illius mandato, sine aliquo medio, sed per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, hoc est: per baptismum in quo regenerati, & renovati sumus adveniente in nos Spiritu Sancto. Nam ipsum baptismum appellat Paulus lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti: quia per illud sumus à peccatorum maculis loti, & iterum post carnalem generationem spiritualiter regenerati, ac veteri homine deposito, renovati per Spiritum Sanctum, ut nunc iterum recipere in baptismo novitatem innocentiam, quam acceperamus in primo parente priusquam peccasset. Et in epistola ad Ephesios, cap. 5. eandem sententiam iterum docet Paulus, dicens, Christum dilexisse Ecclesiam, & seipsum tradidisse pro ea, ut illam sanctificaret, mandando eam lavacro aquæ in verbo vitæ. In quibus verbis sacramentum baptismum appellavit lavacrum aquæ in verbo vitæ, duas exprimens res, ex quibus baptismus conficitur, videlicet aquam, & verbum vitæ, sine quibus baptismus minime confici potest. Verbum vitæ hoc loco vocat Paulus invocationem Trinitatis, quam baptizans facit, quum dicit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,

Hoc itaque lavacro aquæ in verbo vitæ Christus mundavit Ecclesiam. Et inde sequitur, ut parvuli non baptizati, quia non sunt hoc lavacro loti, non sint mundi, neque regenerati, neque renovati, & per consequens, si absque baptismo moriantur, nunquam perveniant ad illam Ecclesiam, quæ est speciosa, sine macula, & ruga, hoc est ad Gloriam celestem. Rursum, hæc sententia convincitur esse erronea testimonio Joannis Apostoli, qui in sua prima catholica epistola declarans modum quo Christus ad nostram animarum salutem venit, dicit: *Hic est qui venit per aquam, & sanguinem Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua, & sanguine.* Ecce audis Christum venisse in aqua, & sanguine. Sed oportet inquirere quo venit. Numquid de cælo in uterum Virginis ad nostram carnem sumendam? aut inde ad Evangelii prædicationem? Minime: quoniam nihil illorum fecit per aquam, & sanguinem simul. Venit igitur sic ad ablucendas sordes filiarum Sion in spiritu iudicii, & ardoris, ut prædixerat Esais Propheta, cap. 4. Talis autem sordium ablucio erat peccatorum remissio nobis omnibus donanda per meritum Christi, qui pro nobis mortuus, ex latere suo effudit aquam, & sanguinem. Et hanc ablucionem nunc etiam quotidie facit in his qui quotidie baptizantur. Nam de Christo Salvatore nostro dicitur quod ille sit qui baptizat in Spiritu Sancto, & igne, quod non aliud est quam quod ab Esais prædictum esse, nunc proxime diximus, quod ille abluit sordes filiarum Sion in spiritu iudicii, & ardoris. Sed pergamus, & videamus hujus ablucionis testimonia, quæ illo loco beatus Joannes præfert: *Tres sunt (inquit Joannes Matth. 3.) qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Quæ verba interpretans Beda in Commentariis super epistolam canonicam, ait: "In nobis hæc unum sunt, non natura ejusdem substantiæ, sed ejusdem operationis, ne mysterii. Nam sicut beatus Ambrosius ait: Spiritus mentem renovat, aqua proficit ad lavacrum, sanguis spectat ad præmium. Spiritus enim nos per adoptionem Dei filios fecit, sacri fontis unda nos abluit, sanguis Domini nos redemit. Alterum vero invisibile, aliterum visibile testimonium sacramento consequitur spiritali." Hactenus Beda. Ex cuius verbis constat Joannem redarguere illos omnes qui dicunt parvulos posse sine baptismo salvari, quia Joannes dicit tres esse testes qui debent perfectum reddere testimonium animæ à sordibus peccatorum ablucæ. At parvulis sine baptismo mortuis deest unus testis, videlicet aqua baptismi: ergo illi non sunt censendi mundati. Deinde, Joannes dicit Christum venire ad nostram omnium salutem per aquam & sanguinem simul, & non per alterum illorum tantum: & inde sequitur, ut ad parvulos, quibus aqua baptismi deficit, nunquam Christus spiritualiter veniat.

Præter hæc scripturæ sacræ testimonia, sunt alia rationes fortissimæ, quæ apertissime convincunt hanc Cajetani sententiam esse erroneam. Primo ergo hinc exordior, quod nullus potest, neque umquam potuit assequi gratiam, nisi præveniente aliquo bono animæ affectu proprio, aut alieno; aut per viam sacramenti, nisi cui forte ex privilegio aliquo particulari, Deus absque his tribus misericorditer concedere voluit, prout fuit Joannes Baptista, & Hieremias, & alii similes in ventre matris sanctificati. Parvulis in utero matrum, aut post natiuitatem ante baptismum mortuis, nullo istorum modorum jux-

juxta legem communem à Deo datam, potuerunt habere gratiam: ergo sine illa salvari non potuerunt: quoniam sine illa salvus esse non potest, propter id quod Paulus ait: (Rom. 6.) *Gratia Dei vita æterna.* Per sacramentum aliquod non potuerunt habere gratiam, quia cum baptismus sit janua omnium sacramentorum, absente baptismo, nullum aliud sacramentum potuit parvulis conferri. Neque per proprium bonum suæ voluntatis motum potuerunt se disponere, & preparare ad gratiam suscipiendam: quia cum fuerint usus rationis prorsus expertes, non potuerunt bonum, aut malum suæ voluntatis habere motum. Solum jam restat inquirere, an per merita aliorum, puta parentum, vel aliorum, potuerint assequi gratiam. Sed hoc fieri non posse, inde convincitur, quod omnium Theologorum concors sententia docet, nullum purum hominem posse alteri mereri primam gratiam, aut primam justificationem, sine proprio aliquo voluntatis motu, aut affectu ipsius justificandi. Nam alias, amens in peccato mortali existens posset sine ulla sua penitentia justificari, cujus contrarium docet Christus (Luc. 13.) dicens: *Nisi penitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et idem definit Innocentius tertius in cap. Majores, §. Verum, de baptismo, & ejus effectu. Et certe si quis posset parvulo mereri primam gratiam, eadem ratione posset mereri augmentum illius, imo multo facilius id facere posset, quam nulla tunc esset in eodem parvulo contraria dispositio ad gratiæ susceptionem. Et si quis forte hoc concedere non veretur inde cogere concedere, ut parvulus non baptizatus posset stante lege majorem gratiam habere quam baptizatus, ut puta si pro illo multi ferventer orent, & pro isto nullus. Nullum igitur esse medium, per quod parvuli sine baptismo morientes possent assequi gratiam, & per consequens vitam æternam: quia neque per sacramentum, neque per meritum suum, vel alienum.

Præterea, si per orationes, & oblationes, & alia id genus sacrificia posset parvulis periclitantibus subveniri, eadem ratione posset per eadem media subveniri extra periculum existentibus: quia periculum mortis non facit ut orationes, & alia suffragia sint sacramentum, quod alias non fuisset sacramentum, nec potest majorem vim ad impetrandum illis orationibus tribuere quam ante habuissent. Et certe sacrilegii crimen videtur esse, si contendere aliquis vellet, haberi certitudinem salutis parvulorum, ex orationibus, aut oblationibus parentum pro parvulis suis. Quia inde facile convincet quisque tales orationes esse verum sacramentum, juxta communem, & veram sacramenti definitionem. At, audere aliud vocare verum sacramentum, præter illa septem quæ catholica agnoscit Ecclesia, apertum est sacrilegium, & si quis illud pertinaciter defenderet, ob hoc solum diceretur hæreticus, juxta cap. Ad abolendam, de hæreticis. Et hinc aperte etiam sequitur, ut nec Cajetanus ipse, nec parentes parvulorum qui pro illis orant, possint per illas orationes esse certi de salute ipsorum parvulorum; quia cum orationes illæ, vel oblationes non sint sacramentum, nihil certum potest haberi de illarum efficaci operatione ad salutem parvulorum. Rursum, si parvuli possent absque baptismo salvari, omnibus parvulis esset hæc gratia communis, tam filiis infidelium quam fidelium: quia nulla ratio est quæ magis pro istis quam pro illis urgeat. Nam ejusdem conditionis, & æquale est utrumque peccatum, neque magis de Deo sunt meriti: neque minus habent gratiæ impedimentum isti quam illi:

& ita æque illis, & istis possent adhiberi sacramenta, & pro utrisque possent ex æquo esse efficaces orationes iustorum. Et revera si parvuli in utero matrum possent per orationes aliorum justificari juxta communem legem, jam nullum prorsus esset privilegium Joannis Baptistæ, & aliorum Sanctorum, qui in utero matris fuerint sanctificati, quia aliis omnibus id potuisset juxta legem accedere, si alii pro illis, prout oportebat, oravissent. Deinde, si parvuli sine baptismo salvarentur, tunc extra Ecclesiam esset salus, quod si quis forte concedere non formidaverit, convincetur statim auctoritate Concilii Lateranensis sub Innocentio tertio celebrati, quod capite primo suorum decretorum definitivè extra Ecclesiam non esse salutem: quæ definitio habetur in ca. Firmiter, de Summa Trinitate, & Fide Catholica. Quod autem ex illa Cajetani sententia, sequatur, esse salutem extra Ecclesiam, inde facile quisque intelligit, si consideret quod parvuli quos dicit sine baptismo esse salvos, sunt extra Ecclesiam: quia non pertinent ad gregem Domini, cum non sint caractere illius signati. Et cum baptismus sit janua per quam intratur in Ecclesiam: qui ad baptismum nondum pervenerunt, non habent portam per quam potuerint ad illam intrare. Ecclesia etiam est congregatio omnium in Christo credentium, qui per unam fidem Christi conjunguntur, juxta id quod dicit Hugo de Sancto Victore. Per fidem accipiunt unionem, per charitatem autem vivificationem. At parvuli non baptizati, sunt non credentes, quia nec credunt actu, ut adulti: neque habitu ut parvuli baptizati. Nam Augustinus in libro de baptismo parvulorum ostendens discrimen inter parvulos non baptizatos, & eos qui baptismo Christi sunt loti, dicit hos esse credentes, illos vero non. Et citatur hæc Augustini sententia in cap. Filius Dei, de consecratione, distinct. quarta.

Accedit ad hæc omnia, contra Cajetani sententiam totius Ecclesiæ consensus operibus, & verbis apertissimis declaratus. Numquam enim hactenus Ecclesia pro parvulis sine baptismo decedentibus oravit, neque pro illis ullas umquam fecit oblationes, neque illos ad ecclesiasticam admisit sepulturam, quod absque dubio illa fecisset, si illos ad se pertinere credidisset. Constat etiam hic perpetuus Ecclesiæ consensus ex testimoniis sanctorum Doctorum, qui etiam tempore disjuncti, concorditer tamen semper in hac fuere sententia quod parvulis sit exhibendus baptismus. Dionysius Areopagita, capite ultimo Ecclesiasticæ Hierarchiæ, refert Ecclesiam tempore Apostolorum recepisse infantes ad baptismum. Et idem postea fuisse factum ab Ecclesia constat ex Cypriano, in epistola octava tertii libri, & ex Augustino, in epistola vigesima tertia. Constat hoc idem ex Bernardo, sermone sexagesimo sexto super Cantica. Et idem ad hunc usque diem servatum esse in Ecclesia, constat ex scriptis illorum, qui fuerunt posteriores, quos prudens nunc omnino causa vitandi fastidii. At Ecclesia nunquam infanibus sanctum baptismum dedidit, si putasset eos sine baptismo salvari posse. Quoniam melius tunc fuisset diserte illis baptismum usque ad adolescentiam, in qua usum rationis habentes suo arbitrio facerent, quod nunc faciunt ex alieno, & suo ore confiterentur fidem, quam nunc aliena lingua fatentur. Nam (ut Augustinus docet in libro tertio de libero arbitrio, & ex re ipsa satis constat) majorem gratiam assequitur in baptismo adultus qui recte se parat ad illius susceptionem, quam parvulus qui sine ulla animi sui præparatione illud recipit. Et certe

tum, ait: „Baptisma unicum baptizatos omnes in Christo regenerans, est sicut unus Deus, ac fides unica, ab omnibus fideliter confitendum.“ Hæc Concilium Vienne: & habentur in Clementina, cap. Fidei Catholice, de Summa Trinitate, & fide Cathol. Concilium etiam Florentinum, sub Eugenio quarto, celebratum eandem sententiam docet, sic inquit: „Inter hæc sacramenta tria sunt, baptisimus, confirmatio, & ordo: quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum imprimunt, in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.“ Hæc Concilium Florentinum. Quod si quis his Conciliorum definitionibus objicere vellet, alterius Carthaginensis Concilii decretum Cypriano præsentate celebratum, quod ait ab hæreticis non confertur verum baptismum, atque ideo ab eis baptizatos debere iterum baptizari, huic responderi potest, non esse pares omnium Conciliorum definitiones. Conciliorum namque provincialium auctoritas non est tanta, ut ejus definitioni omnes obtemperare cogantur: quoniam provincialia Concilia (ut in principio hujus libri docuimus) errare possunt. Non enim pro illo conventu Deus rogavit, ut ejus fides non deficeret: neque illi Deus se ad futurum semper promittit. Concilia autem generalia legitime congregata minime errare possunt. Quapropter si quid in provinciali Concilio decretum est quod à vera fide deviare videatur, per generale Concilium (ut beatus Augustinus, lib. 6. contra Donatistas, cap. 1. docet) corrigi debet. Quod in casu factum esse comperimus, Concilium siquidem Africatum, septuaginta & unius Episcoporum, in quo decretum est hæreticos non posse verum baptismum conferre, provinciale fuit, & non generale: quapropter errare potuit, & corrigitur à Cornelio tunc Romano Pontifice, aliisque Italiæ Episcopis, ut refert Eusebius septimo libro Historiæ Ecclesiasticæ, & postmodum corrigitur per Concilium Carthaginense primum in decreto quod proxime citatum est. Hoc autem Concilium universalis accepit Ecclesia, & ita ejus definitionem omnes amplecti tenentur. Contra hunc errorem scripsit Beatus Augustinus, librum de Unico Baptismo, atque iterum tractatum de baptismo contra Donatistas septem partium libris. Hoc nostro tempore scripsit Joannes Faber volumen grande contra Anabaptistas. Contra eisdem Leopoldus quidam germanus.

Septima hæresis est circa ipsius baptismi sacramentalia, hoc est circa illa quæ baptismus in ejus collatione circumstant ex quodam ritu Matris Ecclesiæ. Armeni enim (ut ait Guido, quem in Historia Armenorum sequimur, quia nullum alium reperire potuimus) dicunt non posse conferri baptismum alicui, nisi eidem confertur Eucharistiæ sacramentum. Secundo dicunt chrisma adeo esse exactum ad verum baptismum perficiendum, ut nisi baptizatus chrismate ungitur, non sit baptizatus. Harum autem duarum assertionum utraque est erronea, & hæretica. Nam quod primo dicunt de Eucharistia, convincitur manifeste ex eo quod Dominus discipulis suis præcipiens ut docerent omnes gentes, & baptizarent eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nullam de Eucharistiæ sumptionem fecit memoriam, fecisset tamen si ea ad baptismi collationem exigere. Deinde Eucharistiæ sacramentum multo post baptismum est institutum: quoniam in die cenæ Dominicæ, feria scilicet quinta pridie quam pateretur, instituit Eucharistiæ sacramen-

tum. Baptismus autem longe ante fuerat institutus. Nam Joannis quarto dicitur quod discipuli Christi baptizabant, ergo tunc baptismus jam fuerat institutus, quamvis non sub interminatione gehennæ præceptus, sicut post Christi resurrectionem. Alioqui baptizati ab Apostolis, iterum postea fuissent baptizandi: quod nunquam factum fuisse legimus. Quare ex hoc melius colligi possit, Eucharistiæ non posse dari nisi præeunte baptismate, ut pote prius instituto. Quod autem baptismus non possit dari sine Eucharistiæ sacramento, nulla profus ratione fulcitur: sed mere voluntarie dicitur. Quapropter eadem facilitate qua dicitur, meretur ut condemnentur quamvis nos id facere jam non valeamus: nam si condemnemus, valida ratione ducti id facimus. Secunda etiam assertio non minus est erronea: quoniam est chrisma exactum in baptismo, non tamen illud exigat baptismus: sed Ecclesia illud exigat à ministro conscientie baptismus: ita ut si chrisma non adhiberetur, extrema necessitate seclusa, minister peccaret, quoniam Ecclesiæ præceptum prætermisit: baptismus tamen nihilominus esset adeo perfectus (si cætera adsunt) ut non sit opus illud sic ablutum iterato baptizare. Christus namque baptismum instituens, nullum de chrismate adhibendo dedit præceptum. Per hæc eandem rationem rejicitur alius error huic similis, cuiusdam Claudii Taurinensis Episcopi, de quo jam supra diximus. Is enim dixit, baptismum esse nullum, si fronte ipsius baptizati signum crucis non insingeretur. Hic autem manifestus est error: quoniam si ea peraguntur quæ Christus præcepit, constat baptismum esse perfectum. Constat autem Christum, cum institueret baptismum, nunquam de signo crucis meminisse.

Octava hæresis est huic penitus opposita. Vvaldenses enim dicunt (ut Aneas Sylvius libro de origine Bohemorum, cap. 35. testatur) baptismum aque nulla interjecta sacri olei mixtura fore recipiendum. Vvaldenses autem isti sic appellati sunt, quoniam Vvaldo quidam civis Lugdunensis fuit auctor eorum. Vocantur etiam pauperes de Lugduno, quoniam Vvaldo ille Lugdunensis, à quo originem traxerunt, cum dives admodum esset, opibus relictis, pauperibusque erogatis, evangelicam pauperem se servaviturum prætendit: sub cujus velamine multos impios errores se tegere credidit. Nam cum idiota esset, quosdam libros vulgari, ac materna lingua sibi conscribi fecit, cum aliquibus sanctorum testimoniiis. Quos libros cum non sane, ut decebat, intelligeret, suo tamen inflatus spiritu, Apostolorum officium prædicando usurpavit. Cœpit hæc secta Vvaldensium (ut ait Guido) circa annum Domini M. CLXX. (quæ ut idem ait) sui Romæ in generali Concilio damnata. Inter alios ergo istorum Vvaldensium errores, is unus est, quo assertio nullo pacto oleum sacrum in baptismo debere misceri. Quem errorem postea secutus est Joannes Vvicleph, de quo jam diximus. Prohujus ergo erroris clariori discussione, annotare prius oportet, pluries sacrum oleum, aut chrisma dari. Aliquando enim datur post ipsum baptismum jam susceptum, aliquot etiam dierum, aut annorum spatio interjecto: & hoc est sacramentum à baptismate distinctum, vel (ut verius dicam) est ipsius sacramenti materia, quod confirmatio appellatur. Et de hoc non est præsens sermo. Aliquando etiam datur oleum in ipsamet baptismi collatione. Ibi enim ungitur chrismate in pectore, & scapulis, & in fronte. Hoc autem sit ad designandam misericordiam quam nobis Deus exhibet condonando peccata per baptismi susceptionem. Oleum

namque in sacris litteris sæpiissime misericordiam significat. Unde beatus Damascenus libro 4. de Fide orthodoxa, cap. 10. ait: „Oleum in baptismo assumitur, unctioem significans, & christos, id est, unctos nos efficiens, & misericordiam Dei nobis auvantians per Spiritum Sanctum, quia & ramum oliivæ iis qui ex diluvio salvati sunt, columba tunc attulit.“ Hæc Damascenus. Est etiam alia non minor causa: quia videlicet per baptismum in certam quoddam spirituale descendimus, & in lucram quendam. Sicut enim in agone positus, lucramque aggrediens, ungetur, quo minus ab hoste possit capi, sed potius facile ex ejus manibus elabi possit: sic etiam spirituale hanc lucram aggessurus, sacro prius oleo ungitur: per quod baptizandus ad lucram præparatur, ne demon eum comprehendat, sed ex ejus potestate elabatur. Unde B. Ambrosius libro primo de Sacramentis ait: „Quomodo dicit Apostolus, ius sanctus: Sit in te fides, devotionisque plena fragrantia. Venimus ad fontem, ingressus es, considera quos videris, quid loquutus sis. Considera, repete diligenter: occurrit tibi Levita, occurrit tibi presbyter. Unerus es quasi athleta Christi, quasi lucram hujus sæculi lucraturus: profusus es lucramini, tui certamina. Qui lucratur, habet quod speret: ubi certamen, ubi corona. Lucris in sæculo, sed coronaris à Christo, & pro certaminibus sæculi coronaris. Nam etiam in Cælo premium, hic tamen meritum præmii collocatur.“ Hæc ibi Ambrosius. Ex quo patet non esse recentem Ecclesiæ ad inventionem, ut oleum sacrum baptismum misceretur. Verum ut rem adhuc multo vetustiorum esse ostendamus, citare oportet Dionysium Areopagitam Pauli Apostoli discipulum. Is enim in secundo capite Ecclesiasticæ Hierarchie, de ritu hujus sacramenti differens, ait: „Deiformis quidam hierarchia incipit sacramentationem, sacerdotes autem in ipso perficiunt unctionis ministratum, ad sacros in typo eum qui perficitur agones, evocantes, secundum quos athleta Christo effectus est, quia ut Deus athleta conditor est, ut sapiens autem, tem testes ipsius posuit.“ Hæc Dionysius. Quæ verba commentator, aut illius expositor enarrans, ita ait: Solebant athleta agonizantur unguento odorifero, & confortativo ungi, ut unguenti lubricitas efficere eos intrahibiles, & non impedibiles ab adversariis: & odor cerebrum, & per consequens sensus confortaret, & ipsius penetratio nervos, & ossa irrigaret, & spiritus mortuos multiplicaret, & sic athletam roboraret. Hæc ibi: Hunc ergo ritum Romani tenent Ecclesia, non novum, sed antiquum, & ab ipsis Apostolis ad nos usque (ut ostendimus) derivatum. Quod oleum si omitteretur, nihilominus, illi cætera adessent, verus esset baptismus: quamvis sic illud præter urgentem necessitatem omittebat, peccaret. Apostoli enim sola aqua ubique oleo baptizabant, ut patet ex Actibus Apostolorum. Nunc autem id fieri non liceret, Ecclesia vetante. Quid ergo impii Vvaldenses murmurant, cum oleum appositum nihil baptismum nocere ostendatur? Quapropter obediendum erit consuetudini catholice Ecclesiæ, quæ à Spiritu Sancto regitur, maxime in sacramentis decernendis, administrandisque.

Nona hæresis est asserens pueros non egere baptismum ad deletionem peccati originalis, quia videlicet negat pueros ante baptismum ullum peccatum originale habere. Hic est error Pelagii, ut ait Beatus Augustinus, libro de Hæresibus, cap. 88. Est etiam Armenorum, ut

illis impingit Guido Carmelita. Verum pro hoc errore expugnando infra commidiore erit locus, cum videlicet de peccato agemus. Ostendemus enim tunc parvulos ante baptismum peccati originalis esse reos, & ob id gehennæ obnoxios. Quo facto manifestum evadet eos egere baptismum ad ejusdem peccati originalis deletionem. Sunt adhuc alii præter Pelagianos qui hunc eundem errorem quamvis non eadem via mutantur. Dicunt enim parvulos posse sine baptismum, & sine martyrio salvari, non quidem propterea quod peccato originali carent, ut Pelagiani dixerunt: sed quia credunt fidem parentum, & eorum orationes, cum proposito baptizandi illos, quum possibilitas adit, esse factis ad salutem illorum spirituale. Hanc errorem primus omnium quos novi, docuit Joannes Vvicleph, prout de illo narrat Thomas Vvalden, in libro de Sacramentis, cap. 96. In illo siquidem loco dicit Vviclephum asseruisse parvulos posse salvari sine baptismum aque, non tamen refert modum quo, juxta Vviclephi sententiam parvuli possint sine baptismum salvari. Joannes Gerson nimia (ut suspicor) misericordia erga infantes affectus, dixit parvulos posse sine baptismum aque salvari per fidem, & orationes parentum suorum, quando baptismus non est omnissus, propterea quod illum parentes contempserunt, sed quia illis illius præstare non porerunt. Hanc Gersonis sententiam postea suscepit Thomas de Vio Cardinalis, vulgo Cajetanus dictus. Quis autem is sit, superius cum de formatione Evæ ex costa Adæ disputarem, satis aperte declaravi. Sed ne forte aliquis huic Cajetano nimium deditur, existimet me hoc illi falso tribuere, ipsamet illius verba referam, quæ ille in Commentario super tertiam partem sancti Thomæ, quæstione 68. articulo secundo scripsit: „In casu necessitatis, inquit ille, ad salutem puerorum sufficere videtur baptismum in voto parentum, præcipue cum aliquo exteriori signo.“ Et post aliqua verba iterum subdit: „Parvulus ex baptismum suminis, voto parentis suscepto, salveretur, si impossibile esset ipsum baptizari aqua. Debet autem in tali casu parens signo circue infantem, cum invocatione Trinitatis, munitur, sicque Deo offerre mortalem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.“ Et postea in Commentario super articulum undecimum hæc ait: „In articulo undecimo occurrit scribendum, & consequenter dicendum, sub correctione tamen, parvulos in matris uteris periclitantes posse salvari, sicut superius diximus de infantibus qui non possunt baptizari. Possent autem salvari dico per sacramentum Baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius, ad Deum cum invocatione Trinitatis.“ Hæc tamen Cajetanus. Neque propter hanc assertionem, quamvis sit hæretica, illum censere fuisse hæreticum, quia non obstinato, & pertinaci animo illam asseruit, sed illam dicens, submitit se correctioni, prout constat ex verbis illius quæ proxime citavimus. Hanc sententiam esse falsam, & erroneam, aperte convincunt verba illa Salvatoris: (Joan. 3.) Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest intrare in regnum Dei. In quibus verbis multa sunt annotanda. Primum est, quod dicit esse necessarium renati illum qui debet intrare in regnum Dei. At, qui nondum est natus, non potest esse renatus. Parvuli igitur qui in ventribus matrum existentes nondum sunt nati, non possunt ex communi lege, ante talem nativitatem esse renati, & per consequens, nec in regnum Dei introire. Et hoc ipsum in illis verbis annotavit Augustinus

ea quæ verissime scripta sunt, mendosissime transferunt. Decima de hac re hæresis est quæ cum precedenti quasi ex diametro pugnat, quia baptismi necessitatem tantam esse asserit, ut adulum hominem, qui non propter contemptum, sed propter impossibilitatem sine baptismo ab hac vita migravit, salvari non posse contendat, quamvis tunc optaverit baptizari, & tunc fuerit corde tunc ad Deum conversus: Quisnam fuerit hujus hæresis doctor, aut prædicator, ego hæctenus scire non potui: scio tamen ex Bernardo, epist. 77. & ex Hugone, libro secundo de Sacramentis, parte 6. capite 7. hanc hæresim tempore suo aliquem habuisse patronum, cujus nomen illi fabricaverunt. Sit licet quisvis hujus assertionis patronus, eam tamen esse hæreticam multis apertissimis argumentis convincemus. Illud certe imprimis est manifestum quod Dominus per Ezechielem Prophetam, cap. 33. ait: *Impietas impii non nocet ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.* At si præter illam conversionem ad Deum esset adhuc necessaria ad justificationem corporalis susceptio baptismi, falsum esset quod impietas impii non noceret ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Et per Zachariam Prophetam, cap. 2. iterum ait Deus: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Si conversio ad Deum non esset satis, jam Deus non staret promissioni suæ, qua promisit converteri ad nos, si converteremur ad ipsum. Forte hic respondebit hujus hæresis patronus, dicens, eo tempore non esse datum præceptum de baptismo, & propterea modo non sufficere ad justificationem, solam conversionem sine baptismo, quæ tunc fuisset satis. Sed numquid tunc non erat ita necessaria circumcisio, sicut nunc baptismus? Sicut enim nunc dicitur: (*Joann. 3.*) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cælorum:* ita tunc dicebatur: (*Gen. 17.*) *Anima cujus caro præputi circumcisio non fuerit, peribit de populo suo.* Statuamus ergo fuisse aliquem Judæum adolescentem incircumcisum mortuum, quem omnium suorum peccatorum perfecte penituit, qui non propter contemptum, sed propter solam necessitatem omisit circumcisionem, & de hoc interrogo, an fuerit justificatus, & salvus, an non? Si dicas illum non fuisse salvum: ergo Deus non fecit juxta prædictas promissiones suas quas dedit per ora Ezechielem, & Zachariam Prophetarum suorum. Hoc autem si quis diceret, esset aperte blasphemus. Si vero quis dicat (prout dicere oportet) illum Judæum tunc fuisse salvum, consequenter cogetur etiam fateri illum qui nunc plene ad Deum conversus, & baptismum affectans sine baptismo moritur, esse salvum: quia Deus dixit, impietatem impii non nocituram ei, in quacumque die ille fuisset conversus ad eum. Non dixit, in hac, aut illa die, sed in quacumque. Et confirmatur hoc argumentum testimonio Pauli in ea quæ est ad Romanos epistola, cap. 2. sic dicentis: *Si igitur præputium legis justitiam custodiat, nonne præputium illius in circumcissionem reputabitur?* Et paucis interpositis subdit: *Non enim qui in manifesto Judæus est, neque circumcisio quæ est in manifesto, & in carne est, sed qui in abscondito Judæus est, & circumcisio cordis in spiritu non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.* Quæ verba interpretans Haymo in Commentariis super epistolas Pauli, ait: qui tantummodo genere, & nomine est Judæus, & circumcissionem carnaliter observat, non placet Deo, neque meretur laudari ab illo, quamquam ab hominibus laudetur. Qui vero, in occulto, in corde est Judæus, id

est confitens Christum, & in corde est circumcisus ab omni infidelitate, & ab omni mala voluntate, & cogitatione, placet Deo, & meretur laudari a Deo, audiens ab illo. *Buge fore bene, & fidelis, intra in gaudium domini tui.* Hæc Haymo. Quæ autem dicit Paulus de circumcissione occulta quæ est in corde, eadem proferre oportet de baptismo occulto in solo corde suscepto: quoniam baptismus succedit circumcissioni. Rursum in eadem epistola, cap. 10. Paulus ait: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio ad salutem.* Ecce audis Paulum docentem fidem dare justitiam, quod non de omni fide intelligendum est, sed de illa sola quæ (ut idem Paulus ait) per dilectionem operatur. Si quis igitur hoc modo perfecte crederit, justus dicitur, quamvis acta baptismum non suscipiat: quia sic credens affectum baptismi habet talem, quod si possibilitas adesset, statim susciperet. Hic autem affectus quando non potest habere operis executionem, ita bene acceptatur a Deo, & æstimatur ab illo, ac si opus ipsum fuisset exhibitum. In cujus rei testimonium est quod Paulus Corinthiis scribens, adhortatur eos ne plura quam possent, in pauperum subventionem conferret: sed satis est si donec quod possunt: quia Deus non amplius ab illis exigit. Sic enim ait: *Si enim voluntas prompta est secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.* Ac si apertius dixisset, illa voluntas grata est Deo, quæ juxta id quod potest, est facere parata: neque Deus exigit ab aliquo, ut faciat quod non potest, (*2. Cor. 8.*) ex quibus Pauli verbis videtur mihi traxisse originem ea sententia, quæ jam in Proverbium transit: *Voluntas pro facto reputatur.* Quæ sententia tunc solum est vera, quando quis non potest opere perficere id quod voluntas aperit. Nam alias quando facere potest quod optat, & non facit, tunc voluntas illa apud Deum non reputatur tantum, quantum si opus perfecisset. Deus enim qui est scrutator cordium, & ponderator spirituum, optime novit voluntatem illam quæ non exequitur, quam potest, id quod optat, esse nimium tepidam, & remissam, & ideo illam minus æstimat. Voluntatem autem illam, quæ ob id solum non procedit ad opus, quia non potest, acceptat, & habet in eo pretio, quo haberet, si opus ipsum perfecisset. Et inde aperte sequitur ut voluntatem baptismi Deus pro baptismo æstimat, in eo qui baptizari non potuit, si tamen plene credidit, & fuit ad Deum conversus. Ideo Bernardus in epistola 77. de hac re loquens eleganter dicit: (*1. Joann. 3.*) *Legimus, omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Et item: (*Matt. 5.*) *Qui videt mulierem ad concupiscendum eam, jam machatus est in corde suo.* Quid planius quod voluntas pro facto reputatur, ubi factum excidit necessitas? Nisi forte putetur, in malo, quam in bono efficacior inveniri voluntas apud Deum, qui charitas est, & promptior esset ad ulciscendum, dum quam ad remunerandum misericors, & miserator Dominus. Hæc Bernardus. Deinde, martyrium pro Christo susceptum supplet vicem baptismi: ergo fides integra cum voto suscipiendi baptismum, supplebit etiam vicem baptismi. Assumptum hujus collectionis tota Ecclesia Catholica faterur, & docet: quia licet Martyres Christi non sint propter martyrium expresse excepti ab illa generali locutione: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* alibi tamen est hoc illis à Deo specialiter concessum, quum Christus dixit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Martyrem ergo, quia Christum confessus est coram hominibus, idem Christi-

tas promittit se confessurum coram Patre suo. Hoc autem privilegium non habet martyrium aliunde nisi ex sola fide: nam ea seclusa martyrium non est nisi sola poenitentia, quæ ex se non est tamen apud Deum valoris. Si fides est sola unde habet privilegium martyrii, ut vicem baptismi supplet: possit: ergo fides illa completa quæ per dilectionem operatur, supplebit etiam vicem baptismi ad salutem animæ acquirendam, quia etiam de illa specialiter dictum est à Christo salvatore nostro (*Mat. 16.*) *qui credit in me, habet vitam æternam.* Et forte ob hanc causam (ut Bernardus ait) Salvator noster postquam dixerat: *Qui creditur & baptizatus fuerit, salvus erit:* postea non repitit: *Qui vero baptizatus non fuerit, sed tantum dixit: Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Per quod innuere voluit aliquando solum fidem sufficere ad salutem, & sine illa sufficere nihil. Accedit ad hæc omnia quod Ecclesia à Spiritu Sancto semper edocta, Cathæcumenis postulantibus baptismum, & ad illum suscipiendum perfecte dispositis, continuo illum præstaret, & nunquam differret usque ad statuta tempora, nisi certissime crederet illam baptismi suscipiendi voluntatem satis esse illis ad justificationem, & per consequens ad introitum regni Dei, si necessitate cogente fuissent morte præventi, & sine baptismo mortui. Nam alias injuriam magnam fecisset illis Cathæcumenis Ecclesia differendo illis baptismum: quia sic faciens objiciebat illos maximo periculo, si forte occurrisset casus, quo morte præoccupati, sine baptismo decederent. Quot enim possunt casus occurrere ad mortem subitanam, tot immo plures possunt illos à baptismi susceptione diu desiderata impedire. Præter has omnes rationes, sunt etiam multorum sanctorum virorum testimonia in hac sententiam convenientia, quibus nullus hæctenus ex sacris viris contradixit. Ambrosius in libro de morte Valentiniani de illo loquens, hæc ait: *Quem regeneratus eram, amisit. Verumtamen ipse gratiam quam poposcit, non amisit.* Hæc Ambrosius de Valentiniano, qui sine baptismo quem petierat, mortuus est. Augustinus eidem sententiæ favet ex animo in pluribus locis, præsertim libro quarto, de baptismo contra Donatistas capite vigesimo secundo, ubi hæc ait: *Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in paradiso:* non leve documentum beatus Cyprianus assumit. Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem per nomine Christi id quod ex baptismo deceret posse supplere, sed etiam si dem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum, mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Hæc Augustinus. In quibus verbis admoceo lectorem circa exemplum illud de latrone quem modo dixit non fuisse baptizatum, nec ex hoc loco persuadeat latronem sine baptismo decessisse: nam idem Augustinus postea libro secundo retractationum, cap. 18. retractavit hoc exemplum quod proposuerat de latrone tamquam minus idoneum ad prædictam sententiam comprobendam, propterea quod incertum est an latro ille fuerit baptizatus, an non. Sententiam tamen illam de baptismo invisibili quod sit sufficiens ad salutem, quando visibilis baptismus suscipi non potest, non solum non recantat, sed illam confirmat. Et in questionibus super Leviticum, quæst. 84. postquam præmisit aliquos quos scriptura commemorat invisibiliter tantummodo sine aliquo exteriori signo sanctificatos, tandem hæc verba subnectit: *Ex his colligitur aut invisibilem sanctificationem.*

nem quibusdam assidue & profunde sine invisibilibus sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, & alia modo sint. Et paucis interpositis subdit: *Nec tamen visibile sacramentum omnino contemnendum, nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari non potest.* Hæc Augustinus. In quibus verbis id annotare oportet quod dicit illum per fructu baptismi, qui contemnit, non autem qui nequit suscipere sacramentum. Idorus lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, capite 24. huic sententiæ subscribit, sic dicens: *Tria sunt autem genera baptismi, quorum primum est quo fordes peccatorum per regenerationis lavacrum abluuntur. Secundum, quo quis sanguine suo per martyrium baptizatur. Est autem tertium baptismum lachrymarum, quod laboriosius transigitur, sicut ille qui per singulas noctes stratum suum rigavit, (*Psal. 6.*) qui imitabatur conversionem Manasse, (*Jona 2.*) & humilitatem Ninivitarum, per quam misericordiam conservati sunt. Qui imitabatur publicani illius orationis in templo, (*Luc. 18.*) stans à longe, & percutiens pectus suam, qui nec ausus fuit oculos ad cælum elevare. Hæc Idorus, qui satis aperte asserit veram penitentiam pro baptismo reputari ad spirituale penitentis salutem. Bernardus eandem docet sententiam in epistola 77. quæ est ad Hugonem de Sancto Victore, sic dicens: *Quemadmodum is qui alieno debito se teneri forte in extremis postus recollit si desit unde persolvat, sola nihilo minus penitentia & cordis contritio obtinere veniam creditur, ne jam pro eo damnetur: sic sola fides, & mentis ad Deum conversio sine effusione sanguinis, & sine perfusione aquæ, salutem sine dubio operatur, leni, sed non valenti, prohibente articulo mortis, baptizari. Et sicut nulla illi penitentia remittitur peccatum, si cum possit, non restituit ablatus: sic & huic nulla prederit fides, si cum possit non percipit sacramentum.* Hæc Bernardus. Hanc eandem sententiam docent Hugo loco superius citato, & Petrus Lombardus libro quarto sententiarum, distinctione quarta. Præter hæc omnia sanctorum virorum tam clara testimonia, extat etiam aperta de hac re Ecclesiæ definitio. Nam Innocentius Papa hujus nominis tertius de hac re interrogatus ab Episcopo Cremonensi, per hæc verba respondit: *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, presbyterum quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato absolutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter.* Hæc Innocentius: & habentur in capite Apostolicum, de presbytero non baptizato. Denique Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum, sessio sexta, capite 4. definitionem justificationis assignans, hæc ait: *Quibus verbis justificationis impii descriptio insinuat, ut sit translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum salvatorem nostrum. Quæ quidem translatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non potest, sicut scriptum est: (*Joann. 3.*) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Hæc Concilium Tridentinum. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, ubi ait, justificationem non posse fieri sine lavacro, aut ejus voto. Nam addens, aut ejus voto, satis aperte declaravit**

non esse necessarium se ipsa suscipere baptismum, sed satis esse ad justificationem votum baptismi, quando non est contemptum, sed ex sola necessitate baptismum omittit. Sed quia quum hæc sententia in Concilio illo decerneretur, aliqui erant, quamvis pauci & minus docti, quibus hæc definitio non placebat, oportet illorum objectionibus respondere. Primo nobis objiciunt Augustinum, libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 74. dicentem: „Nullum, cathecumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere, excepto martyrio ubi tota baptismi factamenta complentur. Sed huic objectioni nos facile respondemus negando illud opus esse Augustini, prout multi alii ante me hoc negaverunt, dicentes illud esse Gennadii. Be certe cum ex aliis multis, tum etiam ex hoc loco persuaderetur librum illum non esse Augustini: quia non est credendum Augustinum fuisse adeo sui oblitum, ut in isto libro, & in aliis supra citatis sententias tam aperte contrarias scriberet, præsertim cum non recitaverit in posteriori libro, nec mentionem ullam fecerit eorum, quæ dixerat in priori. Si liber ille (ut multi putant) habet Gennadium auctorem, parum urgetur illius testimoniam, quia ille non est tantæ estimationis, ut suæ auctoritatis pondere nos premere valeat. Secundo objiciebant in Concilio Tridentino illi quos dixit de Centurione illo Cornelio, cui antequam de fide Christi fuisset edoctus, Angelum dixisse assererent (Act. 10.) Mitte in Joppen, & accersi Simonem qui cognominatur Petrus, qui loquitur tibi verba in quibus salvus eris tu, & universa domus tua. Si in his quæ Petrus erat illi dicturus, salvandus erat Cornelius, & tota domus ejus: ergo ille nondum erat justus antequam fuit à Petro in fide instructus, & baptizatus. Hæc objectio est inanis & omnino robore carens. Nam Cornelius antequam Petrum videret, vere justus erat, prout beatus Augustinus docet lib. 4. de baptismo contra Donatistas, cap. 21. sic inquit: „Melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus, Simone baptizato. Ille enim & ante baptismum Spiritu Sancto repletus est. ite & post baptismum immundo Spiritu afflatus est. Verumtamen Cornelius si etiam Spiritu Sancto jam accepto baptizari noluisse, contempti, tanti Sacramenti reus fieret. Hæc Augustinus. Sed non est opus Augustini testimonio, ubi tot & tam aperta sunt scripturæ sacræ testimonia. Nam scriptura de illo refert (Act. 10.) quod erat vir religiosus & timens Deum, & quod elemosinæ illius tales erant, ut ascenderint in memoriam in conspectu Dei. Quæ omnia non nisi de homine justificato, vere dici poterant. Sed illud est apertius, quod loquente Petro ad turbam, quæ convenerat in domo Cornelii, cecidit Spiritus Sanctus super omnes qui audiebant verbum, & locuti sunt variis linguis, & postea dixit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut & nos? Et jussit eos baptizari in nomine domini nostri Jesu Christi. Ecce vides non solum Cornelium, sed multos alios Spiritu Sancto repletos, antequam sacramentum baptismi recepissent. Verba autem quæ afferunt ad probandum Cornelium non fuisse justum ante baptismi susceptionem, non sunt de scriptura sacra, neque habentur in Bibliis sacris quæ passim circumferuntur. Nam communibus Bibliis, quæ hactenus videre licuit, non sunt hæc verba, Qui loquitur tibi verba, in quibus salvus eris tu, & universa domus tua. Verba autem quæ scriptura refert dixisse Angelum ad Cornelium, quum de Petro illi loquebatur, sunt ista: Hic dicit tibi, quid te oportet facere. Ex istis autem verbis

nullo modo potest colligi, Cornelium tunc, ante baptismum susceptum, non fuisse justificatum; sed solum hoc potest ex illis verbis colligi, quod licet tunc esset jam justificatus adhuc tenebatur suscipere baptismum: quia hoc Petrus facere jussit, postquam illum & alios omnes qui ad domum ejus convenerant in fide instruxerat. Baptismum autem esse necessarium ad salutem omni homini quantumlibet alias justificato, nos etiam confitemur, & illud aperte confirmatum est testimonio Augustini & Bernardi, quæ supra per me citata sunt.

Undecima circa baptismum hæresis orta est, quæ licet concedit, per baptismum peccatum originale dimitti, negat tamen per illum omne peccatum deleri. Quia baptismum suscepto manet adhuc carnis concupiscentiæ, vel carnis rebellio, quæ (ut hujus hæresis auctores docent) vere peccatum est, quamquam non imputatur à Deo. Quod autem ipsa concupiscentia sit vere peccatum, inde probare contendunt, quia (ut illi ajunt) est contra illud Dei præceptum, Non concupisces. Hujus hæresis parens & primus auctor fuit Lutherus, quem postea secuti sunt Philippus Melancthon, & Martinus Butzerus monachus, apostata ex ordine Sancti Dominici, Brentius, & multi alii germani ejusdem factionis Lutheranae. In hac hæresi, prout nunc enarrata est, duomiserunt errores, quorum unus oritur ab altero. Primus est qui asserit baptismum non delere omne peccatum. Secundus docet concupiscentiam carnis esse peccatum contra illud præceptum, Non concupisces. De hoc secundo errore nihil hoc loco dicemus: quia in titulo, Præceptum, in ista Deo ducere contra illum disputabimus, & commodior illic erit hinc disputationi locus, & ideo ad illum locum, pro hac re mitto lectorem. Contra primum ergo errorem nunc pugna aggrediens, primum objicio id quod Michæas propheta cap. 7. ait: Deponet iniquitates vestras, & projiciet in profundum maris omnia peccata. In quibus verbis propheta baptismi virtutem & efficaciam apertissime declaravit esse tantam, ut omnia peccata absorbeat, & nullum vivere sinat. Nam quod de baptismo ibidem loquitur propheta, convincitur per id quod ait Paulus (1. Cor. 10.) Patres nostri omnes mare transierunt, & omnes in mari baptizati sunt, & in nube. Ex quibus verbis satis aperte constat, baptismum fuisse per mare figuratum, & illi comparatum. De hoc igitur mari propheta Michæas loquitur, quum dicit: Projiciet in profundum maris omnia peccata. Non dixit, aliqua: sed omnia. Forte Lutherus & sui consortes dicent, Baptismum, juxta Pauli sententiam, non esse figuratum in quolibet mari, sed in illo mari rubro per quod patres nostri transierunt. Michæam autem non de illo speciali mari fuisse locutum, ac proinde contendunt verba propheta in sensum à littera (ut solent) valde alienum detorqueere. Sed nec sic evadere poterunt, quin eos convincamus, quoniam ex sua responsione efficacissimum contra illos sumam argumentum. Si mare illud rubrum per quod patres nostri transierunt, fuit figura baptismi, consequens est ut Ægyptii, qui patres insequerantur, figuraverint peccata quæ nos persequuntur, & Pharaon Ægyptiorum rex figuram gesserit demonis, quod (ut est apud Job) est Rex super filios superbiæ. At in mari illo in quo salvi facti sunt filii Israël, omnes Ægyptii qui illos persequerantur simul cum Pharaone eorum rege, perierunt. Reversa sunt aqua, inquit sacra scriptura, (Exod. 14.) & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui persequentes ingressi fuerant

mare, nec unus quidem superavit ex eis. Ut igitur figura vere respondeat figurato, oportet ut in aqua baptismi omnia peccata pateant, nec unum superstit ex illis. Præterea, hæc sententia apertius confirmatur per id quod Deus per Ezechielem prophetam cap. 36. ait: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Non dixit, ab aliquibus inquinamentis, sed ab omnibus, ut intelligamus nullum esse exceptum, quod non sit per aquam diluendum. Hæc autem Ezechielis verba esse de sacramento baptismi intelligenda, omnes sacri doctores concorditer docent, quoniam nulla est aqua quæ possit ab omnibus inquinamentis mundare, nisi sola aqua baptismi. Rursum, Salvator noster baptismi necessitatem proferens, baptismum ipsum appellavit regenerationem, sic inquit: (Joan. 3.) Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. Et Paulus (Tit. 3.) ut Christi verba aperte faceret, postquam baptismum appellavit lavacrum regenerationis, statim addidit, & renovationis. Per quæ verba declaravit, qualis esset ea regeneratio quæ per baptismum habetur, talis videlicet quæ animæ vetustatem deponat, & novitatem inducat. Nam propter hanc causam, resurrectionem corporis Christus salvator noster apud Mattheum cap. 19. vocat regenerationem, quia per illam resurrectionem corpus sic prorsus renovatur, omnia antiqua exuens, ut jam nova generatione genitus esse videatur. Jam abiit fames, recessit sitis, fugerunt morbi, cruciatus, dolores, lascivitudines, corruptiones, denique vetera omnia transierunt, & nova facta sunt omnia. Sola corporis substantia manente eadem, fere omnia corporis accidentia mutata sunt. Idem prorsus contingit in anima per baptismum: quoniam per illum homo qui antea erat filius diaboli per peccatum, postea per baptismum efficitur filius Dei. Est ergo per baptismum renovatio in anima, quemadmodum per resurrectionem sit renovatio in corpore. Non fuisset autem integra & perfecta renovatio, si aliquid de vetustate peccati remaneret. Ad hanc etiam tendunt multa quæ ad Romanos Paulus scribens, & de peccato originali, ac de illius remedio, quod est baptismus, disserens ait, cap. 5. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum dominum nostrum. Si peccatum manet post collatam baptismi gratiam, jam non gratia, ut Paulus docet, sed peccatum superabundaret. Sed ut apertius Lutherum convincamus, opere pretium erit attendere modum superabundantiae quem Paulus declarat. Ut sicut (inquit ille) regnavit peccatum in mortem, ita gratia regnet per justitiam. At quum peccatum regnabat in homine, nulla erat in illo Dei gratia: ergo è contrario regnante Dei gratia in baptizato, nullum erit in illo peccatum, alioquin non vere diceretur regnare in illo, & inde ulterius sequeretur gratiam non superabundare, ubi abundaverat delictum, cujus contrarium docet Paulus. Et licet aperte hoc loco Paulus damnet Lutherum, multo tamen apertius & fortius id agit postea in eadem epistola cap. 6. sic inquit: An ignoratis fratres, inquit ille, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu in morte ipsius baptizati sumus? Consequuti enim sumus cum illo per baptismum in mortem. In quibus verbis Paulus apertissime docet nos per baptismum fieri membra corporis mystici cujus caput est Christus: & tunc mortem Christi in nobis ipsis sentire, quoniam mortuo Christo in cruce pro peccatis nostris, qui est caput nostrum, tunc nos qui sumus membra ejus

morimur peccato cum ipso. Nam si caput alienus hominis abscedat & interficiatur, necessario omnia illius membra commoriuntur. Ad eundem modum mortuo Christo, commoriuntur illi baptizati, qui tunc suscepto baptismi facti sunt membra ejus. Aliter tamen ille, & aliter nos, per baptismum morimur, quia ille mortuus est corpore, nos autem morimur peccato, Cor illius mortuus est in cruce, & peccatum nostrum moritur baptismate. Unde beatus Chrysostomus sermone decimo super epistolam ad Romanos, prædicta Pauli verba declarans, ait: „Quid est quod dicit, in mortem ipsius baptizati sumus? Hoc, scilicet, baptismi crux est, ut & nos quemadmodum ipse mortuus est moriamur. Quod igitur crux & sepulchrum Christo fuit, id nobis baptismus factus est, licet non omnino in rebus eisdem. Ipse quidem carne & mortuus est, & sepultus, nos à vero peccato utrumque sumus. Propterea non dicit, Complantati morti illius, sed similitudini morti illius. Mors quidem utrimque est, & illa, & ista, verum non eodem subjecto. Illa siquidem quæ Christi est, carnis: quæ vero nostra, peccati est. Quemadmodum autem verax illa, ita verax & ista. Hæc Chrysostomus. Ex quibus verbis constat Pauli doctrinam esse, quod baptismus peccatum esse plene mortuum, sicut in cruce Christus fuit adeo plene mortuus, ut nihil in eo humane vitæ remaneret. At si post baptismum maneret aliquid in baptizato, quod vere sit peccatum, in baptismo non ita plene moreretur peccatum, sicut Christus in cruce fuit mortuus. Sed adhuc pergit Paulus eandem sententiam docere per ea quæ post priora verba in eodem loco subnequit, sic inquit: Hoc scientes quia veteris homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati. Non dixit, ut destruat, peccatum, ne putaretur unum aut alterum peccatum esse destructum: sed dixit, ut destruat corpus peccati, ut doceret nihil ex peccato remanere. Et si forte aliter Lutherus hæc verba Pauli aliter esse intelligenda contendat, audiat obsecro beatum Chrysostomum illa verba interpretantem, qui sermone undecimo super epistolam ad Romanos hæc ait: „Non hoc corpus ita vocans, sed universam illam malitiam nostram, quemadmodum & omnem malitiam veterem hominem vocat. Quod vero non sit incerta quædam conjectura: quod hic dicitur, ex eis quæ sequuntur, ipso Paulo id ipsum interpretante, audire poteris. Cum enim dixisset, ut aboleretur corpus peccati, subjunxit. Ut post hæc jam non serviamus peccato. Volo siquidem ut corpus hoc nostrum peccato sit mortuum, non ut perdat & interimitur, sed ut non peccet. Progreduendo vero clarius adhuc facit quod dictum est. Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. De quo vis istud homine dicit, nimirum quod quemadmodum qui moritur, liber jam est à peccatis, quamprimum mortuus deponitur: ita & qui à baptismate ascendit. Quamdoquidem enim qui baptizatus est, in baptismate peccato mortuus est semel, oportet ut & in morte peccati perducatur. Hactenus Chrysostomus. Ad eundem modum interpretatur Theophylactus sic inquit: „Etenim veteris noster homo, id est malitia, simul crucifixus est: hoc est, ut aboleatur corpus peccati, id est, ex variis partibus compositum vitium. Ac tamquam unum corpus sit peccatum, vel corpus nostrum peccabile, infertur propterea, ut ne porro serviamus peccato. Hæc Theophylactus. In eadem sententia est Anselmus, qui prædicta Pauli verba multo apertius declarat, hæc ait: „Corpus